

1482

*Cisalpinae
Galliae &
Padis de-
scriptio.*

fra Hostiliam, Mantuani agri oppidum, citra ultraque Padum usque ad mare aquis irrigua est) ut pauca de regionis situ, deque fluminum divortiis dicamus. Includitur itaque terra ipsa cum Flaminiae & Picæni agri parte, præterquam a meridie & brumali ortu, qua Hadriaco alluitur, undique fere montibus; ita ut nisi a mari ad Apennini juga, quæ Liguri imminet, porrectior esset, theatralem pene formam exprimeret. Quod si theatrum appellari posset, Martis quidem, non alterius, ut Græcorum quidam Boetiam, appellaremus: quando nullum sit in Italia solum, in quo sæpius oriantur bella, atque orta diutius immorentur. Habet terra ipsa ab occasu Apennini juga, quæ Liguriæ, ut diximus, incubant. Hæc molli quodam ambitu aliquandiu evagata, Hetruria ad dexteram Umbriaque relictis, Anconem usque procurrun: hoc fere Alpes ad septentrionem & boream faciunt. Quicquid ferme soli his finibus continetur, Tyrrheni olim habuere. Hos Galli, locorum specie & fecunditate allecti, suis sedibus expulerunt, ipsique postea citra ultraque Padum totam terram aliquandiu tenuere; inter fluvium ipsum & Alpes Lebetii, Galli, Insubres, & Cenomani habitasse dicuntur, quorum urbes clarissimæ adhuc extant. Venetos quoque nonnulli Gallicam gentem existimarunt, atque ideo falso a quibusdam crediti, quia ab illis qui in Gallia sunt, lingua tantum discrepare credantur, cæterum moribus & corporis ornatu nihil dissimiles. Ultra Padum Boji, Eganæ, & Senones solum ipsum incoluerunt: quo merito est factum, ut postea Gallia sit dicta. Eorum inde opibus Romano imperio everfis, Italia pars esse cœpit: novissime a Longobardis (qui in ea terra diutius fuere, maximaque eorum potentatus pars, ac regia ipsa circa Ticinum fuit) *Lombardia*, detrita syllaba, nuncupata est. Amplissima hujus terræ flumina, Padus, Ticinus, Ollius, Abdua, Mincius, & Athesis. Padus, quem a Græcis *Eridanum* appellatum quidam tradidere, in gremio Vesuli montis, qua parte maxime Ligurum finibus assurgit, ortum habet: in planitiem inde lapsus, ad meridem primo de-